



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

14. S. Bonaventura Episcopus, & Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

410 XIV. Julii. S. Bonaventura.

militas, & obedientia lapides sunt angulares ædificii spiritualis ac Benedictini  
Corruet sine illis.

*Instructio meritoria.*

Speciale pactum cum SS. Patre Ben-  
dicto, eundem per quainlibet septima-  
nam die Mercurii dovotius venerandus  
per hunc vel illum actum abstinentia  
macerationis, humilitatis, vel fraterni  
charitatis. Ex 12. gradibus humilitatis  
qui inveniuntur c. 7. S. Regulæ, nobis u-  
nam constituamus speciale, & ad for-  
tem, quam ad ortum diei tulerimus, ad-  
damus 12. *Ave cum oratiuncula : Ex-  
cita quæsumus, Domine, in Ecclesia fi-  
ritum &c.* Sic filios augebimus, & exal-  
tabimus SS. P. Benedicti. Clamemus  
fervidi, ut audiamur.

Festum Mariophili S. Bonaven-  
turae Doctoris Seraphici, & Cardi-  
nalis ac Episcopi sanctissimi.

*EXHORTATIUNCULA I.*

**E**N! genuinum Christi Jesu, & huius  
Crucifixi discipulum ! Ex vulneri-  
bus Crucifixi mirabilem suam haui-  
scien-

scientiam cum omnimoda Dei sapientia.  
In iis cognovit, quomodo? Et quantum sit diligendus Jesus vir dolorum?  
In libris suis quid expressit S. Bonaventura? Inspice, & videbis non nisi Christum, aut pendentem de Cruce, aut delitescensem in amoris tabernaculo, SS. Altaris Sacramento. Ah! fili! ita & nos diligimus Jesum? Utinam! Sed quid respondet nimia sciendi aviditas, & affectata vana scientia?

*Instructio meritaria.*

Scientia sine dilectione sumus, & vanitas est! Ut evadamus eruditæ secundum spiritum Christi, nunquam ad pulpita, & studia pergamus, nisi præmissis ante à quinque Ave in honorem quinque vulnerum Jesu, adjunctè dilectionis Rythmò: *Anima Christi sanctifica me.* Postea à intellectum, voluntatem, & memoriam penitus consecremus Crucifixo. O sacrificium Jesu omni holocaustò acceptius! Citò igitur ad victimam! Bis dat, qui citò immolat.

*Amor! Crucifixus instruit & suum  
dilectum Bonaventuram. In quo!*

**O** Amor! Crucifixus instruit & suum dilectum Bonaventuram. In quo! In profundâ humilitate, amore propria vilipensionis, & contemptu omnis dignitatis. Fili! quod officium? Quis honor? Quæ gloria, cui non inhiamus ardentissimi? Et tamen credimus, nos vivere discipulos Christi, & quidem Crucifixi? Quæ deceptio?

*Instructio meritoria.*

Ut nos sicut boni in schola Divini Magistri discipuli vivamus, nōsque omnibus viliores & inferiores corde, & ore intimo credamus affectū animi, die sacramentalis Communionis specialiter à Deo Eucharistico petamus gratiam perfectæ cognitionis, & vilipensionis respectu nostrūm. Ut eò certius impetrēmus, septem Pater & Ave subjungamus pro lucrandis indulgentiis. Ubi puritas, ibi & humilitas.

*III.*

**D**Idicit & à Christo hic magnus Ecclesiæ Doctor, quām hilariter, ac constanter se habeat tempore adversitatis

tis, aut miseriæ. Afflictiones probant Christi discipulum : Quid nos ? Declinamus : fugimus : indignamur. O fili ! Quantum distamus à schola , & doctrinâ Crucifixi Jesu !

*Instructio meritoria.*

Sed non penitus refugiamus ! Accedamus proprius & quoties vehementia passionis , & turbo motus rebellantis cor obruit , & invadit , non loquamur , sed aut taceamus , & quiescamus , aut aliquid ex pio libello legamus , aut ad Sanctissimum Altaris Sacramentum properemus , clamantes cum afflictō illō Evangelicō : *Domine Jesu ! O Fili David ! vim patior ! Miserere mei ! Responde pro me !* Non redibimus sine solatio , nec sine victoria. Persolvatur in afflictione Psalmus : *Domine ! quid multiplicati sunt &c.*

Festum S. Henrici, Imperato-  
ris Castissimi, & Angelicæ Benedicti-  
no - Bavaricæ Congregationis Pa-  
troni gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**N! rosam sine spina. Ecce! con-  
jugem, Imperatorem, virum; sed  
vide & angelum, quia Virginitatem se-  
cum tulit ad tumulum! grande casti-  
tis prodigium! Et hoc unde S. Henrico!  
à Dei gratia, & custodia sensum, O  
fili! quis non honoret & veneretur tan-  
tum castimoniae speculum? Sequamur!  
Oculos claudamus! Sensus contraha-  
mus! Et moriemur ut Virgines. Au-  
reola jam in cœlo nos expectat asser-  
vata.

*Instructio meritoria.*

Vir castus Deo corpus suum exhibet  
hostiam viventem. Ut offeramus &  
nostrum, aut actum petamus à Patre  
Spirituali sacri rigoris; aut alicuius mor-  
tificationis in cibo. Virginitas timo-  
rem, & ruborem amat; Odit verò ef-  
fusionem, & laxitatem corporis. Re-  
prima-